

contractui aequivalet : uno, qui matrimonii proprius est, potestas mutuo in proprium corpus alteri taaditur ; altero, uterque cedit usu seu exercitio hujus juris. (Ball. P. n. 423) Alii tamen (Schmalzgr. l. c. n. 120, qui et alias plures veteres citat ; Rosset, de Sacram. Matrim. n. 194 seqq.) hujusmodi condicionem matrimonii substantiae repugnare autumant : quia de substantia illius est mutua corporum traditio, vi cuius matrimonium contrahentes in se mutuo transferunt jus in corpus suum ad actus conjugales, ac proinde se obligant ad eos reddendos ; contrahentes vero sub condicionis servandae aut vovendae perpetuae castitatis, jus istud et implicitum consensum ad actus conjugales reddendos appositione talis condicionis excludunt, cum vi illius ad copulam non exigendam et non reddendam obligentur. Sed, ut advertit Palmieri (Ball. P. n. 424, nota) in hoc argumento confunditur jus cum exercitio juris, atque ideo renuntiatio utendi jure confunditur cum non existentia juris. Obligatio enim ad non exigendum componi potest cum jure exigendi, ut patet in eo qui voto obstrictus matrimonium init.

460. V. Matrimonium cui adjiceretur condicio impossibilis vel turpis de futuro, in foro externo, praesumendum est validum.

Constat ex Decretali **mox** cit. in qua ita prosequitur Gregor. IX : " Aliae condiciones, si turpes aut impossibilis fuerint, debent, propter ejus (matrimonii) favorem, pro non adjectis haberi. " Vid. Ecclesia jure merito praesumit contrahentes condicionem impossibilem potius joco quam animo huic alligandi consensum suum adjecisse, nec voluisse condicione turpi ad peccandum allucere. Haec tamen tantum juris prae sumptio est, quae in foro interno cedit veritati et in ipso foro externo contrariis probationibus elidi potest.

Ab hac praesumptione **tres** casus excipi solent :

1º Si contrahentes ignorabant condicionem esse impossibilem vel turpem. Hac ignorantia existente, matrimonium initum sub condicione impossibili, ex. gr. si consentiant parentes jam defuncti, nullum est ; initum sub condicione turpi, ex. gr. si furtum feceris, saltem suspenditur donec condicio impleta fuerit. Num, impleta condicione turpi, valeat hujusmodi matrimonium, disputant AA., ut de quocumque contractu turpi dictum est Vol. I. n. 584.

2º Si contrahentes ignoraverint cit. constitutionem Gregorii IX. Qui enim eam ignorant, ut fere semper contingit, praesumendi sunt huic condicione vere alligasse consensum.

3º Si constat hujusmodi condicionem serio adjectam fuisse. Ita nullum judicandum esset matrimonium contractum a juvne divite cum puerla paupere, sub condicione : Si centum francorum millia in dotem dederis, quia satis patet haec ab eo dicta esse ut indicaret se nullam obligationem

suscipere velle. Item nullum foret matrimonium contractum sub condicione educandi liberos in haeresi. Sed saepe haec clausula aliaeve similes non adduntur per modum condicione suspensivae, ita ut unus contra hentium nolit valere contractum nisi alter ex animo promittat rem in honestam suo tempore exsequi ; adduntur potius tamquam *modus* seu obligatio accessoria, ad quam una pars alteram vult obligari post perfectum contractum matrimoniale, cujus valorem minime intendit hujus oneris adjectione suspendere. (Schmalzgr. l. c. n. 139 seqq.)

§ 3. DE PROPRIETATIBUS MATRIMONII.

461. Duae sunt proprietates matrimonii, quas fusius probare solent Dogmatici e revelatione, Philosophi Morales e penu rationis : unitas et indissolubilitas. Quae ex indissolubilitate ad nostram disciplinam pertinent, tractabimus n. 555 seqq. Hic breviter tantum doctrinam de unitate matrimonii subjiciemus.

I. Polyandria repugnat juri tum naturali, tum divino, ideoque semper et ubique prohibita fuit. Repugnat enim primario conjugii fini, vid. generationi et bonae educationi proliis, cum rariores faciat partus et incertum patrem, cui praecipue educandae proliis cura demandata est.

II. Polygamia simultanea saltem fini secundario conjugii, nempe tranquillae cohabitationi conjugum, repugnat. In omnibus gentibus prohibita est ex quo Christus (Matth. XIX, 3 seqq.) matrimonium revocavit ad primaevam unitatem, quam a divino institutore (Gen. II, 23) acceperat. Igitur abolita est dispensatio quam DD. communiter censem viguisse in populo Dei, ex. gr. tempore Patriarcharum, vel etiam forte inter alias gentes. Matrimonium ergo quod ipsi infideles attentant cum secunda vel tertia uxore, vivente prima, invalidum est, et tenentur hanc solam servare vel repetere, reliquis dimissis.

III. Mortuo viro vel uxore, licet parti superstiti secundas vel ulteriores nuptias inire, ut patet e ss. Litteris (1 Cor. VII, 39) et ecclesiastica traditione. Videsis Canonistas tit. ult. l. 4. Decr. interpretantes. Haec libertas statim ab obitu compartis, in conscientiae foro, datur, etiamsi forte leges civiles (C. C. a. 228) viduae superstite novas nuptias per aliquot menses prohibeant. Sed cavendum ab incapacitibus vel poenis civilibus.

§ 4. DE LICITA CELEBRATIONE MATRIMONII.

462. I. Ad matrimonium licite contrahendum requiritur **status gratiae**: est enim sacramentum vivorum. Attamen nulla lege divina vel ecclesiastica universalis praecipitur ut nupturientes, mortali peccato foedati, statum gratiae recuperent per confessionem potius quam per solum actum contritionis, (n. 128. II.) Sed Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) *hortatur* conjuges ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, confiteantur et communicent.

Statutis autem vel consuetudinibus multarum dioecesum praecipitur ut sacramentalis confessio nuptiis celebrandis praemittatur. Hoc praeceptum merito imponi publicis peccatoribus, inter omnes convenit, neque aliter de occultis peccatoribus sentiunt communiter AA. (Aichner, op. cit. § 191; Feye, op. cit. n. 276) Quidam tamen (De Becker. op. cit. p. 252 seqq.) existimant iis qui publici peccatores non sint, non posse imponi strictam obligationem, quia tali lege episcopus novum impedimentum matrimonii induceret, quod supra ejus potestatem foret. Verum merito dubitari potest num hoc sit impedimentum proprie dictum, cum nemo vi talis statuti immediate a matrimonio ineundo prohibeatur; deinde nullo *certo* jure constat supra episcopi potestatem esse ut inducat impedimentum mere prohibens. (Gasp. n. 270) Neque valet ratio: non posse jure humano praecipi confessionem iis qui ad eam jure divino non teneantur, quales sunt nupturientes a peccato mortaliter immunes. Hoc enim effatum communi sententiae Theol. adversatur, teste Lugo, de Poenit. disp. 15. n. 129 seqq. Fatendum est S. C. de P. F. interrogatam de statuto particulari quo a nupturientibus dicebatur exigendum testimonium peractae confessionis, 21 Sept. 1840, respondeisse: "Quoad fidem confessionis, suadendum ut exhibeant, sed, si renuant, non ideo a matrimonio excludendi." Verum non censemus tantam vim in responso hujus S. C. ponendam esse ut propterea reprobetur universe jus particolare multarum dioecesum. Id unum inde sequitur: non probare S. Sedem ut propter recusatam confessionem denegetur assistentia sacerdotis, quod nullatenus indicat nullam antea viguisse obligationem. Cfr. n. 519, V.

II. Probabilis per se non peccat vir vel mulier matrimonium contrahens cum compare quam novit in statu peccati mortalis versari. Matrimonium enim christianum sequitur condicionem contractum: hos autem inire licet, ob quamlibet notabilem utilitatem, cum parte quae in contrahendo, e propria malitia, peccatura praevideatur. (Vol. I. n. 233) Neque obstat prohibitio ministrandi sacramenta indignis. Plurimum

enim differt condicio ministri in matrimonio ab ejusdem condicione in reliquis sacramentis. In his enim agit personam publicam, quae ex munere suo tenetur specialiter attendere ad merita et demerita recipientium, ne fiat dispensator infidelis; in matrimonio, minister est persona privata celebrans contractum, atque ideo ex munere suo solum attendit ad utilitatem propriam, ac praeterea, cum sit simul subjectum, non appareat quare hujus condicione (n. 130) sequi non possit. (Lugo, de Sacr. in gen. disp. 8. sect. 14) Quodsi quis, cum S. Alph. (l. 6. n. 55), ad liceitatem requireret grave incommode in nuptiis relinquendis, practice in idem recideret: numquam enim deerit grave incommodum in relinquendis optatis nuptiis. Verum per accidens peccaret, etiam graviter, qui contraheret cum parte adeo impia vel corrupta, ut se proximo periculo perversionis exponeret.

Peccaret graviter qui matrimonium contraheret cum excommunicato vitando, non autem probabilis qui contraheret cum tolerato. (S. Alph. l. c.) Cfr. n. 130. De matrimonio cum haeretico dicemus n. 517 seqq.

463. III. Parochus illicite assistantiam suam negaret iis quos novit ob occultam censuram occultumve peccatum indignos esse. (n. 123) Quodsi ejus assistantiam postulant ii qui notorie in ecclesiasticam censuram inciderint vel merito publici peccatores dicantur, imprimis adnoti debet ut absolutionem a censuris procurent vel a mala vita resipiscant. Ubi vero emendationem obtinere frustra conatus est, censem S. Alph. (l. c. n. 54) parochum assistere non posse, nisi excusetur metu mortis, vel ad vitanda graviora damna communia vel ipsorum contrahentium, puta ne ipsi perseverent in peccato. Hanc sententiam laudavit S. Poenit. 10 Dec. 1860 (Coll. P. F. n. 1528), saltem ubi de iis qui notorie in censuras inciderint quaestio fit. At Lugo (l. c. sect. 13), Ball. P. (de Sacr. in gen. n. 59), aliquique haud immerito putant parochum hujusmodi matrimonio assistere posse, dummodo non agatur de excommunicato vitando. Etenim cooperatio quam praestat est valde levis, cum sacramenti minister non sit, sed tantum ut testis publicus contractui legitimo assistat; neque assistantiam absque gravi incommodo negare potest: quare non magis peccat quam notarius interveniens contractui legitimo, dum novit contrahentes ex intentione prava peccare. Practice vix differt ultraque sententia, si ratio habetur exceptionum quas prior admittit. Nam, si parochus denegaret assistantiam matrimonio peccatoris publici quem frustra ad meliorem frugem revocare conatus esset, fere semper timenda essent graviora mala, puta nupturientes victuros esse in concubinatu, odia gravissima in ipsum parochum. etc. Haec facillime nostris diebus contingent cum, ope matrimonii mere civilis, in multis regionibus, concubinarii iisdem juribus gaudere possint ac conjuges legitimi.

Si matrimonium petunt una pars catholica et altera quae fidem abjecit, at nulli falsae religioni vel haereticae sectae adscripta est, quando parochus nullo modo potest hujusmodi matrimonium impedire (ad quod totis viribus incumbere tenetur) et prudenter timet ne ex dengata matrimonio assistentia grave scandalum vel damnum oriatur, res deferenda est ad episcopum qui, inspectis omnibus casus adjunctis, permettere poterit ut parochus matrimonio passive intersit, tamquam testis *authorizabilis*, dummodo cautum omnino sit catholicae educationi universae proliis aliquis similibus condicionibus. Hanc normam quam eis jam alicui episcopo praestituerat, S. Off. 13 Jan. 1899 ad omnes episcopos extendi posse decrevit, probante Leone XIII.

Tandem si una pars ad franco-muratores aliamve sectam a S. Sede reprobata (n. 596) perlinet, eadem norma applicari posse videtur, cum cit. resp. 13 Jan. 1899 universe loquatur de iis omnibus qui, licet fidem abjecerint, nulli tamen sectae haereticae adscripti sint. Regulariter hujusmodi matrimonia celebranda erunt sicut matrimonia mixta (n. 519) prout innuunt verba ejusdem responsi : " Parochus matrimonio passive intersit, tamquam testis *authorizabilis*. " Attamen non videtur adempta episcopo facultas concedendi ut ad vitandum scandalum aliudve grave incommodum benedictio nuptialis impertiatur vel Missa nuptialis celebretur. Etenim 21 Febr. 1883 S. Off. responderat de eodem casu : " Omnino excludatur celebratio sacrificii Missae, nisi quando adjuncta maliter exigant. " Cfr. Lehmk. II. n. 714. Neque diserte de hoc casu moralis necessitatis loquitur decretum 13 Jan. 1899.

464. IV. Ritus celebrandi matrimonii sacramenti reperitur in Rituali Rom. (tit. VII. c. 2) Attamen Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) declarat : " Si quae provinciae aliis, ultra praedictas, laudabilibus consuetudinibus et caerimonii hac in re utuntur, eas omnino retinere S. Synodus vehementer optat. " Igitur nihil prohibet quominus Rit. Rom. praescriptiones aliquatenus modificantur pro locorum consuetudine. Qua de re cfr. Pastoralia dioecesana.

Praeter hunc ritum, impertienda est regulariter in omnibus matrimoniis catholicorum sollemnis **benedictio nuptialis**, quae in Missa pro Sponso et Sponsa reperitur, neque ab ea avelli potest. Sacerdos qui sponsos conjungit, juxta mentem Conc. Trid. (l. c.), hortari debet conjuges ut illam benedictionem accipiant. Ipsi impertienda est, juxta resp. S. Inqu. 31 Aug. 1881 " etiamsi petant postquam diu jam in matrimonio vixerint, dummodo mulier, si vidua, benedictionem ipsam in aliis nuptiis non acceperit. " (Coll. P. F. n. 1560) Ipsi nupturientes, juxta communem sententiam (S. Alph. n. 988), sub levi tenentur ad hanc benedictionem petendam. Attamen haec sententia nullo solidi fundamento niti videtur. Nam e locis Decreti Gratiani, quae a pluribus allegantur, contrarium potius eritur. Sic Nicolaus I c. *Nostrates* (causa 30. q. 5) sic concludit : " Peccatum autem esse si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis. " Scandalum vero, ad quod alii (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 21. n. 36) unice recurrunt, ratio extrinseca est, et quae saepe abesse potest. Quare per se nullam strictam obligationem esse opinamur hujus benedictionis intra Missam recipienda. Ita sentire videtur S. Inqu. (resp. cit.) dum addit " *hortandos* esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant ", et S. C. R. interrogata utrum haec benedictio sit preeceptiva an facultativa, 9 Maii 1885 ad idem responsum remisit. (Coll. P. F. n. 1561)

mento niti videtur. Nam e locis Decreti Gratiani, quae a pluribus allegantur, contrarium potius eritur. Sic Nicolaus I c. *Nostrates* (causa 30. q. 5) sic concludit : " Peccatum autem esse si haec cuncta in nuptiali foedere non interveniant, non dicimus, quemadmodum Graecos vos astruere dicitis. " Scandalum vero, ad quod alii (Schmalzgr. in l. 4. Decr. t. 21. n. 36) unice recurrunt, ratio extrinseca est, et quae saepe abesse potest. Quare per se nullam strictam obligationem esse opinamur hujus benedictionis intra Missam recipienda. Ita sentire videtur S. Inqu. (resp. cit.) dum addit " *hortandos* esse eosdem conjuges catholicos, qui benedictionem sui matrimonii non obtinuerunt, ut eam primo quoque tempore petant ", et S. C. R. interrogata utrum haec benedictio sit preeceptiva an facultativa, 9 Maii 1885 ad idem responsum remisit. (Coll. P. F. n. 1561)

De loco quo matrimonium celebretur, nullum strictum preeceptum dat Rit. Rom. (tit. VII. c. 1. n. 16) : " Matrimonium in ecclesia maxime celebrari *debet*. " Quandoque tamen statuta dioecesana vetant ne, absque Ordinarii licentia, extra ecclesiam celebretur.

V. Contractum matrimonium parochus manu sua adnotare debet in libro ad hoc destinato, etiamsi aliis sacerdos, ab ipso vel ab Ordinario delegatus, matrimonium celebraverit. Id enim jubet Rit. Rom. (tit. VII. c. 2. n. 6), juxta statutum Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. Matr. c. 1) : " Habeat parochus librum in quo conjugum et testium nomina, diemque et locum contracti matrimonii describat; quem diligenter apud se custodiat. " In hoc libro mentio facienda est dispensationis quae pro foro externo obtenta fuerit, seu pro impedimentis publicis. Nihil vero adnotandum de dispensatione quae tantum pro foro interno, seu pro impedimentis occultis concessa fuerit. Cfr. n. seq.

CAPUT IV.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII.

§ 1. DE IMPEDIMENTIS IN GENERE.

465. NOTIONES. Impedimentum matrimonii in genere definiri potest : defectus alicujus condicioneis a competente lege pro validitate aut pro liceitate matrimonii requisitae. (Aichner, op. cit. § 166)